

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

---

Georg Rudolph Böhmer

**Facultatis Medicae In Academia Wittenbergensi H. T. Decanvs Georgivs Rvdolphvs Boehmer ...  
Habendam Indicit Praemissa De Plantarvm Sverficie Genera Et Species Definiente**

## **Exercit. Secvnda**

Wittebergae: Litteris Caroli Christiani Dürrii, [1772?]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn862451094>


Band (Druck)

Freier  Zugang



*Rogge*

FACVLTATIS MEDICAE  
IN ACADEMIA WITTENBERGENSI  
H. T. DECANVS  
GEORGIVS RVDOLPHVS  
BOEHMER  
PHIL. ET MED. DOCT. ANAT. ET BOT. PROF  
PHYSIC. PROVINC  
PANEGLYRIN MEDICAM  
AD D. III. MENS. MART. A. R. S. MDCCCLXXII  
HABENDAM  
INDICIT  
PRAEMISSA  
DE PLANTARVM SVPERFICIE  
GENERALA ET SPECIES DEFINIENTE  
EXERCIT. SECVNDA



*Nc - 4306.2 (2.) Caps. Nc. 4*

**N**onnullae itaque Superficiei partium, fructificationi in primis inseruentium, proprietates ad genera constituenda commode, ut nuper cognouimus, adhiberi aliquando possunt; hinc eadem quoque in speciebus determinandis non negligi, frequentius potius feliciusque notari debebunt. Cum vero specifici characteres nunquam, vel rarius, ex flore fructuque, sed ut plurimum a reliquis plantae partibus, caule ac foliis praecipue, desumantur, harumque proprietates fere omnes, maxime, quae ad superficiem spectant, ex loco natali aliisque causis saepissime variare, aliquam faciem adsumere soleant, omni circumspetione opus erit, ne varietates pro speciebus assumamus, hasque ab illis sufficienti modo separemus. Inter accidentales characteres e. gr. spinas pertinere asseruit, Cynaraeque exemplo comprobare studuit DODONAEVS,<sup>a)</sup> et IVNGIVS, quem magna semper cum veneratione citamus, idem docuit, et inter alia scripsit: *Seminis Cynarae summitate fracta, Cynarae non spinosae nascentur, Rubique idaei turiones nouelli spinis quandoque carent.* Simili modo aestimauit canitem, et Cyrtisum e. gr. in hortos translatum eandem amittere tradidit.<sup>b)</sup> Consentient recentiores, et LINNAEO duce, affirmant, spinosas arbores cultura saepius spinas, aliasque plantas loco et aetate facillime hirsutiem deponere.<sup>c)</sup> Quae quidem vera esse, spinosamque ac hirsutam superficiem variare, lubenter concedimus, nihil minus tamen characteres, speciebus definiendis aptissimos praestantissimosque, praebere, contendimus, modo ad eiusdem ortum indelemque et in genere, et in qualibet planta in specie attendamus.

Spinae, ut de his primo quaedam moneamus, vel ex intima partium compage oriuntur, vel tantum superficie accrescunt. In Pruno spinosa et Pyro sylvestri apices ramorum iisdem terminantur, siuntque, si gemma imperfecta praecocius euoluitur, et prematura vegetatione in ramum imperfectum, siue spinam, communitatur;

a) Pemptad. V. Libr. V. c. 6. b) Vid. Doxoscopia edit. per ALBRECH. T VM p. 78 et 82. c) Philos. Botan. § 272. p. 215.

tatur; Hae facile, in hortum transplantata arbore, auctoque nutrimento, elongantur et in ramos mutantur, dum e contrario Rosa, cuius spinae modo corticales sunt, et in pratis et in hortis spinosa manet. Hinc et spinae, quae sub ramis, foliorumque petiolis collocantur, ut in Xanthio spinoso, rarissime deficere solent. Aetas porro habeatur ratio. Aliae in iuuentute laeues sunt, et senescentes demum spinosae sunt plantae, in aliis contrarium locum habet, aliae denique omni tempore spinis armatae incedunt. Piores ferre semper per accidens quidem oriuntur, et ramorum extremitates, rigidiores factae, spinas mentiuntur, attamen ille demum status perfectus est, et hinc non ab imperfetta iuuentute, sed adulta aetae characteres desumendi. Reeste dicitur Anonis spinosa, et si prima aetate inermis existit, et in Alysslo spinoso rami adultiores et indurati spinas constituant; Atraphaxis junior nunquam spinosa est, et modo in vetustis, vel superioris anni plantis spinarum vestigia inuenire potuit G MELINVS,<sup>d)</sup> et hinc utramque speciem, a LINNAEO assumptam, non nisi aetate differre, existimauit. Cum quibus facile comparari posset ille modus, dum foliorum perennantium petioli, membranacea parte ablata, superstites, spinosum habitum constituunt, ut in Tragacantha. Etsi ad haec omnia attendere non vellemus, spinae tamen pro accidentalibus in vniuersum haberi non debent, cum in iisdem producendis singularem industriam possuisse naturam, plurimis exemplis declarare facile possimus. Quis enim summi Creatoris sapientiam non admirabitur, dum stellulas spinosas, vel Cereorum variorum angulis singulari ordine affixas, vel in Mesembryanthemo barbato foliorum apici impositas considerat, vel dum in Euphorbia heptagona spinarum summitates flores protrudere cognouit, vel dum singularem ortum et mechanismum harum partium in Berberi et Xanthio spinoso<sup>e)</sup> disquisiuit paulo studiosius. Hinc itaque spinae, si in eodem genere plures iisdem armatae, aliae iisdem destitutae inueniuntur species, non solum generalem constituunt differentiam, easque in diuersas quasi phalanges dividunt, sed et, si vna modo alteraue spinas habet, reliquae

<sup>d)</sup> Vid. Flora Sibiricae To. III. p. 28.

<sup>e)</sup> Spinarum ortum in utraque planta singularem descripsit VAN LINNE in Specier. To. I. p. 472. et To. II. p. 1400.



autem inermes sunt, hoc charactere notantur et distinguuntur com-mode. E. gr. spinosae et inermes Euphorbiae, Genistae, Mimo-fae, Solana peculiares cohortes faciunt, et aculeata Bauhinia, Sa-myda, Satureia, Stachys, Lantana, Polygala, Cichorium, Lawso-nia, Amaranthus, Poterium, Gleditschia, Pisonia et s. p. hac nota bene distinguuntur. Aliquando etiam paulo specialius pungentium harum partium situm, numerum, aliasque proprietates attendere, et species inde curatius distinguere solemus. Rhamni genus, ut LINNAEVS illud assumit, tres quasi phalanges, scil. spinosam, acu-leatam, et inermem constituit; in Poinciana ad aculeos solitarios et geminos attendimus; et in Carduis multiplicem spinarum dif-ferentiam annotare solemus, sine qua, eiusdem generis species inter se discernere nullo modo possumus.

Eadem ratione reliquas superficiei proprietates aestimemus. Laeve et hirsutum, glabrum et tomentosum frequenter variare, notissima res est; saepe tamen immutabilis persiftit, et egregios cha-racteres praebet. Nonne ex solis petiolis barbatis Lysimachiam cilia-tam cognoscimus, vbiunque illa habitet vel colatur? Eadem nota Campanula americana forte a reliquis facile discerni posset. Ita Portulacam pilosam axillis pilosis, et Panicum miliacium solis va-ginis foliorum pubescenibus distinguimus. Campanulas foliis lae-vioribus et scabris, Salices foliis glabris et villosis, Irides ex corol-la barbara et inermi in duas phalanges distinguimus. Foliis supra glabris et pubescentibus duae Echinopi species inter se differunt. Semperiuum arachnoideum, nomine hoc expressum signum con-stanter ostendit, licet in alieno loco et terra conseruetur. Dictam-nus creticus folia inferiora tomentosa, superiora, floribus interposita, laeuissima semper gerit. Maritimae plantae, in remoto a Mare lo-co conseruatae, pertinaciter tomentum retinent, et si etiam aliquan-do, ut de Cineraria maritima scimus, illud deponunt, vestigium tamen villorum conseruant, et cinereum superficiem ostendunt.

Eandem, immo maiorem, constantiam habent tubercula, glandulae dicta, foliis eorumque petiolis adnata, in primis si paulo maiora sunt et oculis nudis apparent. A minoribus enim glandu-lis et filamentis, non nisi microscopio detegendis, specificos cha-racteres

❧ ♚ ❧

raſteres vix vñquam defumi debere, reſte monuit Gvetardus<sup>f)</sup> ea ex ratione, quod plerumque omnibus speciebus eiusdem generis, ſint ſimilia. Foliis itaque eglandulofis, vni et triglandulofis Goffy- pi, petiolis bi et ſex glandulofis Passiflorae species diſcernimus, et in Caſſis locum, figuram, numerumque earum attendimus. Con- uoluulus brasiliensis foliis, baſi biglandulofis, ab omoib⁹ diſſert. Ea- dem corpuscula, granula quoque dieta, ſemina valuulis adnata, Rumicis quasdam species, et verrucae, ex cauie foliisque prominen- tes, Hypericum balearicum apte definiunt. Cum his comparari forſan poſſunt maiora illa tubera, quae quidem non ſuperficie i- ponuntur, attamen in eadem eminent, ac gangliorum instar, qua- lia in neruis videmus, intumefientias faciunt. Petoli ventricosi in Trapo, eidemque geniculo iſtructi, vel vt Brownius<sup>g)</sup> ſcripsit, ganglinosi in Thalia, internodia caulinā incrassata in Galeopide Tetrabit, et geniculi carnosī gibbosique in Geraniis quibusdam, ex- empli loco ſufficiunt.

Denique et lineae, in foliorum poſtica parte prominentes, haudquaquam neglixi, potius nerui etiam, numero ſituque diuersi, aliquando notari debent. Cannae et Ceanothi foliis neruofis et eneuibus diſferunt, et in Piperis speciebus quinque, ſeptem, no- uemque neruos numeramus; In Melastoma et Lauro, numero eo- rum diuerso, species determinare ſolemus. Cinnamomum et Caſſiam ad Lauri genus pertinere, omnes conſentunt, an vero ſpe- cie diſferant, dubium erit. LINNAEVS duas ſtatuit, et Cinnamo- mum Laurum foliis trineruīis ouato oblongis, neruis verſus apicem euanscen- tibus, et Caſſiam Laurum foliis triplineruīis lanceolatis appellauit;<sup>h)</sup> ait figuram foliorum inconstantem, et neruos ſaepius quinos adeffe, eorumque diuisionem nec ad baſin folii ſemper, ſed quandoque altius incipere, variisque modis ludere, hinc inter Caſſiam et Cin- namomum nullam, niſi accidentalem, eſſe differentiam TAYLOR WHITE declarare ſtuduit.<sup>i)</sup>

3

Super-

f) In Acad. Parif. 1759.

g) Hist. nat. of Jamaica p. 112.

h) vid. Specier. To. I. p. 528.  
noſtræ Additamenta p. 12.

i) vid. Philos. Transact. Vol. L. P. II. edit.



Superessent aliae externae proprietates, constituendis speciebus  
 satis aptae; ita foliis punctatis et impunctatis, atque papillosis Me-  
 sembryanthema, foliis subtus punctatis Vaccinium, Vitis idaea di-  
 etum, foliis nigro circulo notatis Geranium zonale, stipulis subtus  
 macula praeditis Viciam satiuam, seminibus puluere obductis  
 Phaseolum farinosum facile et recte distingimus. Verum allata  
 exempla satis docent, characteres, a diuersa superficie desumptos,  
 plerumque constantes, rarius accidentales esse. Et si etiam eadem  
 planta diuersam faciem assumit, et diuersimode ab Auctoribus de-  
 scribitur, artificiale modo a naturali curatius distinguatur, tuncque  
 proprium illud et accidentale non difficile animaduerti poterit.  
 Hinc characteres specifici non a plantis cultis et alieno solo con-  
 feruatis, utpote tunc arte saepius mutatis, sed in patro et natali  
 loco constitutis, ac naturali habitu incedentibus desumi, et hinc  
 earum descriptiones et characteres, a Floristis dati, merito retineri,  
 ab Adonistis vero propositi, non sine limitatione, adhiberi debe-  
 bunt. Eadem vero planta non semper eundem similemque locum  
 occupat; et si nunc in diuersa terra sponte crescit, habitum etiam  
 quandoque mutat, ita ut decipientur obseruatores, et ex vna spe-  
 cie facile duas constituant. Ipomaea, Pes Tigridis dicta, si in Iaua  
 crescit, setis albicantibus rugosa, in Persia vero glaberrima esse so-  
 let. Licet autem, omni attentione adhibita, perpetuum illud et  
 mutabile in superficie plantarum cognoscere, et determinare vix  
 vlo modo valeamus, nihilo minus tamen ab eadem characteres  
 apte desumimus; Si enim exinde, quia eius proprietates aliquando  
 variant, easdem prorsus negligere, et inter notas mere accidenta-  
 les referre vellemus, nulli plane superessent characteres, determi-  
 nadis et denominandis speciebus inservientes. Namque nulla  
 pars, partisque proprietas est, quae non aliquando variat. Ad fo-  
 liorum figuram vbique respicimus, eorumque integritatem et di-  
 visiones sedulo attendimus, sunt vero inde desumenda notae  
 aequae inconstantes, ac de superficie cognouimus. Exem-  
 plurum, quod egregie hanc rem docet, Delphinium elatum pra-  
 bet, in loco natali, Sibiria scilicet, multis modis varians; ut et  
 hinc de eodem scripsiterit GMELINVS <sup>k)</sup>: nec longitudo peduncularum  
 maior.

<sup>k)</sup> Flor. Sibir. Tom. IV. p. 187.

maior, nec glabrities et hirsuties, nec foliorum incisura profunda; aut minus profunda, nec laciniarum latitudo maior et minor, nec mollities aut durities foliorum, nec florum diuersa magnitudo, nec petalorum forma subrotunda aut oblonga, aliquid in hac planta ad speciem constituendam conferre.

Verum hic subsistam, nec plura de superficie plantarum in medium proferam; Conuertam me potius ad Commendationem publicam

Nobilissimi Doctissimique

D N. I O. H E N R. D A N. M E N T Z E L I I

Med. Cand. Dignissimi

Qui vitae suae ac studiorum rationes sic nobis Ipse exposuit:

Ego, Ioan. Henr. Daniel Mentzel, natus sum Arterae, Comitatus Mansfeldensis oppidulo, anno 1745. Patre optimo usus sum Ioanne Henr. Daniele Mentzel, chirurgo meritissimo, qui vero, tenera admodum aetate mea, diem, quem pitis lacrymis etiamnum prosequor, obiit supremum; matrem Julian. Reginam, ex stirpe Weidleriana ortam, in viuis adhuc commorantem, omni, qua par est, obseruantia, adhuc colo. Accedit uero, ut mater optima, post funera patris, auspiciis diuinis, cum alio uiro Ioanne Christophoro Daniele Schmidt, chirurgo huius urbis clarissimo, sese coniunxerit. Parentibus his carissimis nihil magis curae cordique fuit, quam ut a teneris statim annis salutaribus religionis christianae praeceptis, ac studiis humanioribus amans tenellus imbueretur. Gratissimo hinc inde sane recordor animo industriae fidelissimorum praeceptorum, et suauem imprimis habeo recordationem institutionis ac manuductionis Amplissimi Domini Reectoris Lippii, nunc Pastoris Schonefeldensis meritissimi. Utque aetate aliquantum euectus, patri ad manus esse possem, idem ipse in artis suae elementis me imbuit, quo tantum effecit, ut ex familiaribus hisce exercitationibus haud parum proficerim. Quia vero a teneris statim vnguiculis medicinae artis amore flagarem, tandem facultatem obtinui, animum applicandi ad studium medicum. Quare me contuli Ienam anno 1769, ibidemque albo studiosorum a Magn. Schmidio, qui tunc temporis sceptrra academica tenebat, sum insertus. Ita ciuis academiae factus, praecepta Logices ex praelectionibus Excellentissimi Heningii percepit, Excellentissimum Succowium Physicas et Mathematicas doctrinas tradentem audiui. Perillus. Kaltschmidium, cuius insignens atque plane



plane singularem in me benevolentiam grata adhuc mente recolo, Anatomiae atque Chirurgiae universae doctorem habui. Praeterea Ilium quoque de morbis mulierum atque infantum, et de venenis recitationes publicas habentem, audire mihi licuit. Vberrimos autem fructus cepi ex praelectionibus Viri Perillustris et Excellentissimi. Consiliarii Aulici Nicolai, in Pathologiam, Senioticam, Methodum medendi et Materiam medicam commentantibus. Excellentissimi, atque Exponentissimi. Baldingeri praelectionibus in Historiam litterariam medicam, Physiologiam, Botanicam, Therapiam, et Artem alimentariam haud exiguo cum usu interfui. Nec tandem reticendi sunt mihi Duuumiri, optime de me meriti, Viri Excell. cum Neubauero, Rickmannus, quorum alter praeter Anatomiam, artem Obstetriciam, alter vero Medicinam forensem solide atque diserte me edocuerunt.

Clarissimus hic Candidatus, studiorum cursu feliciter peracto, ad Nostrum Ordinem accessit, Summosque in Arte Salutari Honores modeste petuit; et cum in Examine instituto optima professorum suorum specimina dederit, decretum fuit, ut sub Praesidio Rectoris Academiae Magnifici, Excellentissimi et Exponentissimi D. GEORG. AVG. LANGVTHI, Pathol. et Chir. Prof. P. O. Facult. Med. Senioris, caet. Fautoris et Collegae aestimatissimi, Inauguralem Dissertationem de Mortibus repentinis iuuenilibus annis potissimum imputandis D. III. Mens. Mart. publice defenderet. Ad quem solemnum Aetum Academiae Proceres, Fautores et Cives officiosissime et humanissime inuitamus.

---

P. P. Dom. Estomichi A. R. S. MDCCLXXII.


---

WITTEBERGAE  
LITTERIS CAROLI CHRISTIANI DÜRRII  
ACADEMIAE A TYPIS

autem inermes sunt, hoc modo. E. gr. spinosae e fae, Solana peculiares co myda, Satureia, Stachys nia, Amaranthus, Poterii bene distinguuntur. Ali harum partium situm, n et species inde curatius LINNAEVS illud assumsi leatam, et inermem con geminos attendimus; e rentiam annotare solemu discernere nullo modo p

Eadem ratione reli Laeve et hirsutum, gla notissima res est; saepe i raeteres praebet. Nonne tam cognoscimus, vbi Campanula americana f Portulacam pilosam axil gnis foliorum pubescen uioribus et scabris, Salic barba et inermi in d glabris et pubescentibus Semperiuuum arachnoi stanter ostendit, licet in nus creticus folia inferi laeuissima semper gerit. eo conseruatae, pertinac do, ut de Cineraria ma tamen villorum conseru

Eandem, immo n glandulae dicta, foliis maiora sunt et oculis nu lis et filamentis, non ni



orantur et distinguuntur com phorbiae, Genistae, Mimo t, et aculeata Bauhinia, Sa polygala, Cichorium, Lawsochia, Pisonia et s. p. hac nota paulo specialius pungentium lasque proprietates attendere, blemus. Rhamni genus, vt phalanges, scil. spinosam, acu inciana ad aculeos solitarios et multiplicem spinarum diffe usdem generis species inter se

ci ei proprietas aestimemus. mentosum frequenter variare, abilis persifit, et egregios cha polis barbatis Lysimachiam cilia bitet vel colatur? Eadem nota sis facile discerni posset. Ita Panicum miliacium solis va nimus. Campanulas foliis lae vis et villosis, Irides ex corol les distinguimus. Folii supra opis species inter se differunt. ne hoc expressum signum con et terra conseruetur. Dictam, superiora, floribus interposita, plantae, in remoto a Mare lo m retinent, et si etiam aliquan s, illud deponunt, vestigium am superficiem ostendunt.

nstantiam habent tubercula, tiolis admata, in primis si paulo A minoribus enim glandu lo detegendis, specificos cha racteres